

tinuit. Nonis autem octobribus omni cum sua copia descendens navibus longis reipublicæ octo, Genuensium duabus, onerariis item decem, quas Genuæ armari atque instrui curaverat, adversa tempestate, quod in onerariis tunc erat, paulisper est iactatus: post a Dominico Maripetro præfecto classis Venetæ receptus, cum dies aliquot in mari portubusque consumpsisset, Arni fluminis ostium ingressus navicula cum eodem præfecto, prioreque legato reipublicæ (nam recentiores affecti valitudine domum abierant) Pisæ appulit: ibi explorato loci situ, concilio legatorum, & præfectorum, & civitatis coacto, Triturritæ arcem, quæ mari undique aluitur, & ponte sublico littori conjungebatur, eratque hostibus opportunissima, quod ea una omnes maritimi Pisanorum conatus, & rei frumentariæ administratio magnopere impediabantur, oppugnare instituit. Itaque legatis reipublicæ qui exercitui præerant, jussis in diversas partes equitatum mittere, ut hostes aliis in rebus occupati morarentur, milites Helvetios trecentos e navibus cum tormentis & præfectis suis principibus egressos occupare eum collem, qui e regione arcis est, imperat, ædiculamque in colle positam capere, ne auxilia iis, qui in vico atque in arce sint, quod erat illac transeundum, ab hostibus submitti possint. Qua re animadverfa, Triturritani portis emissi animo ædiculæ præripiendo in collem evolant. Prælium committitur, cædesque utrinque fit. tum præfectus classis milites e navibus, remigesque auxilio laborantibus submittit: ab iis hostes repelluntur, ipsi & Helvetii fugatis hostibus ad naves revertuntur. hostes postea eam ædiculam diruerunt.

Interim naves aliquot e longinquo visæ sunt eo cursum tendere: ad quas suis cum triremibus præfectus, ut unde, aut cur venirent, scire posset, & si hostiles essent, ipse eas adoriretur, statuit accedere: naves enim onerariæ, quod ventus erat adversus, commovere se non poterant. Maximilianus ejus consilio comprobato, triremes & ipse concendit. Cum ad naves præfe-